

ronus in director. Med. p. 326. Zvingerus in theatr: vite hum: vo-
lum. 17. l. 6. p. 2577. Platerus in observat. lib. 3. p. 547. Mart. Zei-
lerus in Cent. 1. Epist. 98. & cent. 3. Epist. 81. Salmuthus in Pancirolis
memorabil. l. 2. p. 519. Petr. Laurenberg. in Pasicompe c. 6. p. 53.
 Sic constat de Epaminondæ milite quopiam, qui ita obesus
 fuit, ut quatuor clypei non tegerent ejus ventrem, propter
 quem etiam nunquam sua pudenda ille vidisse dicitur. Non
 exigua etiam staturâ & obesitate præditi fuisse videntur Hebræi
 illi Rabbini Eleazarus & Ismaël, quibus tam grandes ventres
 fuisse referunt historiæ, ut cum starent faciebus & corporibus
 juncti, duo validi boves inter eos transire potuerint, neutrum
 contingendo, de quo *Laurenberg. in Musomach: p. 64. & alii*
plures. De crasso quopiam viro, qui neglexit corporis exer-
citium in juventute, & quod usupanis tosti, cumini atque a-
nisi seminis frustra ausus sit imminuere molem corporis, vitam-
que suam conservârit popâ suâ, cum à Tyranno quopiam ad
carceres condemnatus non posset in illos intrudi, ob molem,
nimiam, consignata legi possunt apud Zeilerum cent: 5. Epist: 24.
 Porro Amalricus Rex Hierosolymitanus insigniter pingvis fuit,
 ut more sceminarum mammillas haberet cingulo tenus promi-
 nentes, ceu recenset *Gvil: Tyrius de bello sacro l. 19. c. 3.* Miræ
 magnitudinis & lactantium obœsarum mulierum mammas su-
 perantes, vidit etiam in crasso viro *Platerus l. 4. p. 548.* Lac
 quoque in mammis obesorum subinde reperiri ex inferius di-
 cendis patebit. Suppeditat quoque nonnulla de obesibus exem-
 pla *Joh. Ravisius Textor in officin: histor: l. 2. c. 47. p. 137.* Quo in
 loco jucunda illa historia etiam continetur de Leone Byzanti-
 no obeso cujus uxor pingvior exstitit, qui sophista aliquando
 factionem vel seditionem composuit, dum vasta suâ obesitate
 risum movit populo & verba fecit de se suaque conjuge, cum
 qua placidè & quietè se in locis angustis contentum vivere di-
 xit; quam historiam etiam allegat *Joh: Adam: Weberus in dex*
Unterredungs Kunst part. 2. p. 213. Plures historias de
 obesibus aliis colligere licebit ex iis, quæ legentur in
 capitibus sequentibus consignata.